S. D. N.

D. PAVLI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ QVINTI

DECLARATIO
Regulæ trigeſimæprimæ Cancellariæ Apoſtolicæ.



ROMÆ,
Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ.
M. DC. XX.

SANCTISSIMVS in Chriſto Pater, & Dominus Noſter, Dominus PAVLVS diuina prouidentia Papa Quintus, Qui in craſtinum aſſumptionis ſuæ ad ſummi Apoſtolatus apicem, veſtigijs ſuorum Prædeceſſorum inhærendo ſtatuit, quod impetrans beneficium, vacans per obitum familiaris continui Commenſalis alicuius S. R. E. Cardinalis teneatur exprimere nomen, & titulum ipſius Cardinalis, & ſi ille in Curia fuerit, eius ad id accedat aſſenſus, aliàs deſuper gratia ſit nulla. Et deinde veſtigijs fæl. record. Gregorij XIIII. eius etiam Prædeceſſoris inhærens, voluit, quòd beneficia per obitum familiarium continuorum Commenſalium eorumdem Cardinalium, tam apud Sedem, quàm extra Romanam Curiam vacantia, etiam ſi ad alicuius alterius Cardinalis collationem, vel aliam diſpoſitionem pertinere deberent, in poſterum diſpoſitioni ſuæ reſeruata cenſerentur, ita vt in prouiſionibus talium beneficiorum illius Cardinalis, cuius tunc familiaris defunctus extitit, ſi ipſe Cardinalis tunc præſens in eadem Curia fuerit, conſenſus requiri omnino deberet. Et cui innotuit, quòd à nonnullis aſſerebatur, Cardinales à Curia recedentes, etiam ſi non ſtatim ſint ad eam reuerſuri, pro præſentibus haberi, ſi in locis vicinis, ſaltim infra duas dietas exiſtant,& in eadem Curia lares,& familiam retineant. Volens huiuſmodi ambiguitatem ſubmouere, & conſiderans præfatam conſenſus præſtandi facultatem fuiſſe præcipuè eiſdem Cardinalibus conceſſam ob labores, quos in præfata Curia verè, & perſonaliter reſidendo ſuſtinent, eius Motu proprio, certaq; ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſuas, & Prædeceſſo-

ceſſorum ſuorum Regulas, & Conſtitutiones præfatas, etiam à die editionis, & publicationis cuiuslibet earum (quatenus eiſdē Cardinalibus, ſi in Curia fuerint, facultatem præfatam præſtandi conſenſum concedunt) eoſdem Cardinales quomodolibet ab ipſa Curia abſentes, & vbilibet etiam in locis, infra duas dietas vicinis, degentes, familiamq;, & lares in eadem Curia retinentes, minimè comprehendiſſe, neque cōprehendere, niſi quando Cardinales receſſerint à Curia, illicò ad eamdem Curiā reuerſuri, & infra decem, vel ad ſummū quindecim dies ad ipſam Curiam verè, & perſonaliter reuerſi fuerint, ita quòd Cardinalibus aliàs quàm vt præmittitur ex quacumque cauſa, quantumlibet neceſſaria, ac qualibet alia hic neceſſariò exprimenda, abſentibus, facultas præſtandi conſenſum huiuſmodi nullatenus competierit, vel competat, ſed beneficia huiuſmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apoſtolicæ prouiſionem, & diſpoſitionem pertinuerint, & pertineant, hac ſua perpetua Conſtitutione declarauit, firmis tamen in cæteris remanentibus tàm Regula, quàm Conſtitutionibus præfatis. Decernens ſic per quoſcumque Iudices, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eoſdem Cardinales, dictæq; Sedis Legatos, & Nuncios &c. ſublata &c. iudicari, & diffiniri debere. Irritumq; &c.

Placet Motuprop. publicetur, & deſcribatur C.

Lecta, & publicata fuit ſupradicta Regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, die verò Sabbati decima quinta Februarij, Pontificatus prædicti Sanctiſſimi Domini Noſtri PAVLI diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno Quinto decimo.

M. Perettus Cuſtos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

570,232